CHRISTO DUCE,

Authoritate atq; Suffragio

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS in illustri ac celeberrima

ACADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. ADRIANO BEIERO,

J. U. D. celeberrimo,

Dn. Patrono, Fautore atque Præceptore suo, omni honoris cultu æternùm colendo, devenerando,


EXERCITATIONEM

JURIDICAM

De

CRIMINE FALSI.

In Acroaterio Themidi sacro



ad d. 19. Aprilis,

Publico Eruditorum examini, illustri Salanæ valedicturus, sistit

JOHANNES FRIDERICUS Nüsstede/

Sicâ Hoyensis.

JENÆ,

Typis JOHANNIS WERTHERI,


Anno cIↃ IↃc LXV.

JOHANNES JACOBUS AVIANUS,
J-U. D. & in Academia Salana P. P.

Eximiæ eruditionis juveni, politissimo & doctissimo
DN. JOHANNI FRIDERICO Nußstedt/
utrique juri deditissimo, Lüneburgico &c.
S. P. D.

DUm ex nostris Athenis ad discessũ te paras, doctissime Nüstedi, scias velim, te sic discedere, ut cùm apud me, qui non sine magno dolore suavissimâ tuâ præsentiâ carebo; tũ omnes tibi amicos enixum tui desideriũ relinquas, efficiasq; ut nihil graviùs quàm tuã absentiã ferant. Præterquam enim, quòd ob sinceram mentem tuam omnes tibi devinctos habes; ea & vitæ innocentia cum morum elegantia conjuncta & doctrinæ præstantia in te emicant, ut hac de causa apud neminem non sis gratiosissimus. Nam utut, fatali quodam hujus seculi malo, ex odiosa, &, nescio qua perversissima consuetudine, vel corruptela potiùs, cum bonis moribus ἄσπονδον πόλεμον quendam suscipiant haud pauci; & præterea magna pars hominum, illotis, quod dicitur, manibus in juris civilis studium irrumpere soleant; Tu tamen necessariis præsidiis instructus & ab omnibus illecebris, quibus alii districti tenentur, alienissimus, non modò optimis quibusque institutis & exemplis animum tuum scitè imbuisti, sed etiam tum in omnium rerũ scientiam, tum nostram præcipuè jurisprudentiam, propemodum abdidisse te videre. Qua in re ut laude dignissimum te præstas, ita in foro, quod sequi in animo tibi esse cognovi, uberrimos, cum Deo, & amplissimos inde fructus certò certiùs percipies. Eorum


rum enim numero contineris, qui, supervacaneis & inanibus postpositis, rerum momenta in deliciis habent, & quævis in succum & sanguinem cõvertere & ad usum transferre amãt; idque quàm manifestissimè, arbitror, testatum facis, cùm pro ea, quam comparâsti tibi haud levem, juris notitiâ, Deo juvante & Duce celeberrimo D. Beiero (viro & in docendo jure exercitatissimo, & de hujate Academia Themidosque sectatoribus, propter germanum paternumq; candorem juxta & extremam diligentiam, optimè merito, non minus quàm commendatissimo) dissertationem usui hodierno simul accommodatam, DE FALSI CRIMINE, purè, insigniter & affabrè per textã confectamq; masculè is defensum; inq; eo argumẽto, ad Pictoris Apellis exemplum, non tuo solùm judicio fidis, sed & alieno, quod disputatione sagax exploras, haud parùm tribuis. Optimè factum! Planè non minor laus tibi debetur, quòd studiis tuis felicissimis colophonem impositurus illud maximæ celebritatis LYCEUM JULIUM adire, summisq; ejus luminibus, Hahniis, Eicheliis & Conringiis &c. operam dare laboras. Pluribus te jam non obtundo, sed quod reliquum est, de egregio hoc tuo specimine publico, laudabilius proposito, & tibi ex animo gratulor & ut omnia sempiternæ gloriæ sint, exopto. Deus vota tibi tua fortunet, neque à malorum ullo te impugnari unquam sinat! De me sic habe; omni industria, cura, opera me provisurum, ne vel latum unguem de solito, h. e., intensissimo in te amore decessisse judicari possim. Vale, amice dilectissime, meq; absens perpetuô & constanti favore tuô complectere. Dab. raptim Jenæ d. 14. Aprilis 1665.



J. J.

Caput I.

Continet denominationem, definitionem, divisionem cum exegesi & transitionem.



Falsum à fallendo dictum; dum homines ea, quæ vel per naturam similia sunt, vel ubi ars imitatur naturam, invicem confundunt, atque incautis aliud pro alio, exemplar pro imagine, malô animô obtrudunt, qui rerum similitudine decepti, oblatum pro desiderato acceptant & sic falluntur. Sumpta itaque appellatio, à parte delinquentis, à causa finali & intentione: à parte decepti verò ab effectu, prout participium *Falsus* aliquando passivè sumitur pro decepto, aliquando neutraliter pro statu, sive pro ipso falsario, qui falsatus quasi sit, versicolor & ad fallendum aptus, sicut merces dicimus falsas, verarum speciem mentientes. Sed nomini inhærere non erit necesse. Rem ipsam potius aggredimur, propositurí primùm definitionem, divisionem causas & effectum; ubi occasione judicii de falsis, agetur de modo coërcendi & puniendi; denique contraria, & quibus modis tollitur hoc crimen, videbimus.

Azo ad Rubricam C. h. t. Falsum definit, quòd sit mutatio veri fraudulenter facta; sed nescio an vera hæc sit definitio; nam ipsa veritas nunquam, res verò non semper mutantur, sed quandoque occultantur, supprimuntur &

aliæ ſimiles pro illis, incautis contrahentibus obtruduntur, qui rerum convenientiâ ſive ſimilitudine decipiuntur: Unde ejusmodi merces falſæ dicuntur mentiri ſpeciem illarum pro quibus venditantur. Rectiùs igitur, meô quidem judiciô, DEFINITUR, doloſa veritatis imitatio vel occultatio, aliûs fallendi causâ facta; vel paulò prolixiùs; quòd ſit factum doloſum circa perſonas vel res, imitatione vel ſuppreſſione veritatis in alterius fraudem commiſſum, Lege publicâ prohibitum. vid. *Magnif. Dn. Struv. Syntag. jur. civil. Exerc. 49. th. 69.*

FACTUM DOLOSUM diximus, ad declarandam ejus materiam & formam; & Factũ quidem, non *Actum*. Licet enim aliud agens aliud ſimulans dolũ committat, non confeſtim tamen & falſum. Dolus enim non omnis Falſum eſt; diſtant quippe ut genus & ſpecies: Omnium delictorum generica forma & natura communis dolus eſt. Præterea Falſum non eſt ſimplex actus in geſtibus conſiſtens, cœterùm nihil poſt ſe relinquens quod in ſensûs incurrat; ſed factum, quod ex vi vocis effectum externum inducit; *conf. ex parte l. 19. de V. S.* Denotant itaque duo hæc vocabula materiam & formam; ſive genus & differentiam. FACTUM, genus eſt; DOLUS, forma; non ſpecifica, ſed generica: ſeparat quidem factum hoc à factis licitis, ſed quale delicti genus ſit, non indigitat, neceſſe tamen eſt dolum adfuiſſe. Sicut enim aliàs voluntas & propoſitum delinquentis, maleficia diſtinguunt, ut docet *Ariſtot. 5. Ethic. 8. & Paulus in l. 53. pr. ff. de Furt.* ſic quoque non aliter in crimen & coërcitionem falſum incidit, quàm ſi dolo admittatur *l. 20. C. h. t. tit.* Unde qui falſum dicit quod verum putat, falſo non eſt obnoxius, cùm non tam fallat quàm fallatur ipſe, *c. homines & ſeq. XXII. q. 2.*

In PERSONIS AC REBUS latet objectum hujus criminis, ſive potius delinquentium; qui modò alias perſonas, ut in

partu

partu ſuppoſito; modò alias res pro veris ac deſideratis ob-trudunt: ſive imitantur perſonas, gerendo ſe pro aliis: ſive imitantur res alias, ac pro illis quod ſua creatura eſt, offerunt, ut in falſa pecunia accidit. Cui non derogat, quòd qui pecuniam juſti ponderis radunt, falſi quoque rei fiant, nec mutent tamen, imitentur aut ſupprimant verum. Nam utique mutant, ex ponderoſa levem efficiendo & pro juſti ponderis nihilominus expendere ſatagendo.

Finis innuitur, dum dicimus ALTERIUS FRAUDANDI. Iſtum enim effectum oportet habere delicta, ut quis lædatur: cætero quin absque eo ſi ſit, nemo conqueretur, minus erit qui judicare aut condemnare velit: juxta illud Germanicum, **wo kein Kläger iſt / da iſt auch kein Richter.** Utut enim in genere morum turpe ſit, animo ita perverſo eſſe, ut aliorum fallendorum causâ vel res mutemus vel imitemur; quia tamen prudentia judiciaria & juſtitia correctiva pro objecto habent actûs foras prodeuntes & actu lædentes, adeoque emendatione quadam indigentes, ſequitur, ut ubi tale quid non contigerit, iuſtitia quoque hæc officium ſuum perdat. Nec credat tamen quis, quaſi licitum ejusmodi actum aut ab omni juſtitia neglectum ſtatuamus; legislatoria quippe prudentia, cui domeſtica & privata diſciplina curæ eſt, jam tum per ſcholas eique præfectos magiſtros civium cordibus virtutes jubet inculcandas, licet non quamlibet deviationem à vero judicialiter puniat. Dum alterius fallendi causâ commiſſum eſſe falſum requirimus, ſeparamus illud à falſo illo abſoluto ſive dialectico, quod in ſimplici deviatione à vero conſiſtit, ubicunque conceptus cum re non coincidit. Denique verbis finalibus cauſam efficientem incluſimus: nam ut aliquid delictum ſit, LEX efficit, nec in ullius privati hominis poteſtate eſt, improbare actûs civiles; quemadmodum nec pecuniam: Solus Legislator de actibus ci-

vium judicat, in ejus arbitrio positum est, quos tolerare malit, quos reprobare ac vetare; prohibitio ejus dat normam dignoscendorum actuum, ut malus dicatur ille, quẽ lex talem dicit: quam in rem non malè crimina ex legibus esse, Justinianus ait, *pr. J. de susp. tutor.* Scilicet non per productionem, sed per revelationem & condemnationem Nam sicubi lex aliquod factum non vetaret, justum utiq; esset. Ita quippe se res habet in legibus civilibus, quòd versentur circa indifferentia, quæ nec ante prohibitionem sunt mala, nec ante præceptum in se immutabiliter bona; sed quod bona sint, ex præcepto est; quod mala sint, ex prohibitione. Unde Paulus Apostolus, jurium non malè gnarus, alicubi ait: concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex dixisset: Non concupisces! *add. Magn. Dn. Struv. Exerc. 1. th. 54. 55.*

DIVIDITUR hoc delictum in VERE tale, propriè sive specialiter ita dictum, quod specialiter & expressis verbis legis Corneliæ prohibetur, per tradita *VVesenb. n.* 1. *&* 12. *ff. h. t.* & QUASI FALSUM, quod ex SCto aut interpretatione JCtorũ pro falso habetur, *VVes. d. l. ex* Marciano *in l.* 1. §. *f.* Paulo *in l.* 14. §. 1. Modestino *in l. 27. pr. ff. h. t.* Ubi tamen hoc monendum credimus, voculam *quasi* non denotare hoc loco improprietatem ac delictum culpòsum, qualia in *Tit. J. de Obl. quæ ex quas. del. nasc.* habentur, neque adeò ad ipsum delictum ejusque formam pertinere; sed potius, ut opinamur, ad actionem, seu judicium pro eo competens, denotareque actionem utilem. Ita enim quæ ex mente legis Aquiliæ & JCtorum interpretatione competit actio, dicitur utilis, delictum autem ipsum æque propriè vocatur Damnum. Ita Imper. furtum conceptum, oblatum prohibitum, non exhibitum, non tam ipsius furti, quàm actionum pro eo competentium diversitatem indigitare, docet in §. 2. *J. de obl. ex delict.*

Consi-

Conſiderabimrs autem hoc delictum 1. ut conſtituendum 2. ut vindicandum: illud fit per cauſas: hoc per judicium. Cauſæ ſunt vel internæ, materia & forma: vel externæ, Efficiens & finis. Materia duplex eſt, vel ex qua, vel circa quam. De illa jam ſupra diximus, quod *facta* ſint, nec adeò prolixiores de iis nunc erimus. Hæc verò Objectum dicitur, quod duplex deprehendimus: generale, actûs ſc. & negotia in quibus fallere alios ſolent verſuti hujus criminis fabrefactores: & ſpeciale, idipſum ſc. quod imitari, occultare aut ſupprimere & ſupponere ſolent, perſonas nempe ſive homines, & res. *vid. Treutl. vol. 2. D. 33. th. 8. a. & ibi Bachov.* Negotia ſunt vel vulgaria & extrajudicialia, vel judicialia. Illa vel viventium, v. g. contractûs, vel moribundorum, ſive ultimæ voluntates.

Cap. II.

De contractibus, quomodo & in quibus falſum admittitur.

Quod CONTRACTûs attinet, ſunt illi in ſe conventiones uſu & humanis neceſſitatibus exigentibus inventæ & introductæ, quibus ut plurimum res invicem permutantur: & quia contractus in facto conſiſtunt, iis probandis inſtrumenta adhiberi ſolent. Circa utrumque verò plurimæ perpetrantur falſitates: Quoniam enim indigentia humana exinde, quòd non omnis ferat omnia tellus, oriatur, atque adeò pro ſuperfluis neceſſaria ſint permutanda, nec quilibet tamen quodlibet quod alter deſiderat, habere ſoleat, communi votô medium quoddam, quod omnibus rebus æſtimandis aptum, omnibus etiam præſto eſſe poſſit, deſideratum fuit, ac tandem *nummus* inventus, qui quantitas quædam in metallis, publica authoritate ſignatis, certoque valore æſtimatis conſiſtens, dici poteſt; circa quem

quem pariter innumeræ falsitates committuntur. Quin & res nummo permutandæ, non usque quaque vitium hoc evitare potuerunt, sed quum non paucæ, nummo quoad quantitatem affines, numero constent, pondere & mensurâ, malitiam falsariorum frequentissimè experiuntur. Imò nec corpora privilegio quodam eximi queunt, sed vel color vel sapor, vel quælibet affectio eorum imitando & mentiendo temeratur. De singulis eo ordine agemus, ut primò contractus ipsos videamus, pòst eorundem per instrumenta probationem. In contractibus occurrit eorum objectum, tam res ipsæ scil. permutandæ, quàm nummus cum quo permutantur. In re notandum corpus & ejus affectiones: ac denique forma ac certum cujuslibet individuum cum differentia sua specifica, ne aliud pro alio obtrudatur. Videamus primùm DE CORPORIBUS eorumque affectionibus. Si liquidis mercibus infunditur aliquid liquidum, quod colorem, odorem, saporem, aut vires, vel imitatur, vel non evidenter alterat, falsum committitur, v. g. quando cerevisiæ coctores herbam quandam, quam Pòst alicubi dicunt, lupulo admiscent, colorem & vires inebriandi addituri, adeoque quod ex hordeo, lupulo & sufficienti coctione defraudârunt, ejusmodi herbâ supplere satagunt, fucum facturi convivis, istas cerevisiæ virtutes ex debitis requisitis adhibitis enatas esse; quorum malitia providam magistratuum curam, seriam prohibitionem, condignamque pœnam meretur. Quemadmodum ante hoc ipsum decennium 1655. d. 27. April. in comitiis provincialibus Schlesvvico-Holsaticis articulus XIII. ad deliberãdum propositus satis innuit, quãtâ sollicitudine Principes huic malo remedêri alloborauerint: verba prepositionis circiter hæc fuere.

So bewehret auch die augenscheinliche evidentz/ daß obwohl durch Gottes Gnade und milden Seegen/ das Korn

Korn und Geträyde nicht so hohen Valor wie vorhin / sondern mehr als über den halben Theil geringer und wolfeiler eingekauffet wird / dennoch nichts desto weniger die Brauer und Becker das Bier und Brod bald eben so theuer / wie vorhin / verkauffen und außbringen / und noch dazu bey den Brauern von Geitzhälsen an stat des Hopffens / ein Gewächs / Post genand / und andere schadhaffte Sachen / dem Bier damit eine Farbe zu geben / eingemänget / darüber aber an vielen Orten kein Einsehen gehalten wird; Darumb soll eine jede Obrigkeit und Bürgermeister und Raht in den Städten / bey vor steiff berührter commination, darüber eyfrig seyn / daß selbiges hoch/schädliches Werck unvorlängt abgeschaffet / bey dem verkauff des Biers / und Brods einen jeden respectivè maß Biers und stücken Brods eine proportion, nach dem Einkauff unnachläßig zu Observiren und zu beobachten / und die darüber handelnde mit ebenmäßiger Strafe an Ehre und Redligkeit und würcklicher hohen Geld-Busse zu belegen. *add. Boxhorn. Instit. polit. L. 1. c. 10. §. 12.*

Insuper & siccis mercibus, v. g. aromatibus, qui vel recentibus insipida ejusdem generis, vel peregrinas & vilissimas res v. g. muscerdam, similas, imò tegulas contusas & contritas, modò colorem mentiantur, dolosè adjungunt, falsum committunt: quale quid evenire qui forsan persuaderi non vult, aut à nobis confingi credit, adeat haud gravatim *Magn. Dn. Carpzov. pr. Cr. q. 93. n. 89.* ubi & *num. praeced.* crocum alios in loco humido detinere scribit: quâ occasione in mentem venit, solere & linteones pannos noviter confectos, ut accepto lini neti ponderi respondeant, humectare. Circa gemmas & pretiosos lapillos, quos potissimùm colore distinguimus, facillimè fallimur; Sunt qui margaritas & corallia fictitia fabrefacere & divendere solent: & commemorat *Dn. D. Joh. Michaelis, Prof. Med. Publ. celebratissimus, in collegio suo super Pharmacopaeiam Medico-Chymicam Johannis Schröteri, Med. Doctoris,*

Amſtelodami Mercatorem quendam lapides Bezoardicos conficere ſolitum fuiſſe adulterinos, cujus fraus tandem detecta, & cùm capite jam plectendus eſſet, bis mille imperialibus vitam redemit, hac tamen ſimul concomitante infamiâ, ut patibulo alligatus, lapidibus Bezoardicis adulterinis circumcirca appenſis, cuilibet proſtitueretur. *add. Dn.Carpzov. pr.crim. q. 93. n. 91.*

Ea quæ pondere, numero & menſura mediantibus in commercium veniunt, falſitatibus hominum expoſita ſunt, dum alii falſa pondera menſurasve conficiunt, alii verò iisdem utuntur, dum, quæ emunt, omnia majori pondere & modiô recipere ſatagunt, minori verò pondere vel modiô quæcunque venalia habent, expendunt, *vid.* **P. H. O.** *art.* 113. jus Saxon. **Landr.** *L. 2. a. 13.* quod piſtorum & molitorum quorundam exemplis demonſtrari poſſet. Sic in Romano imperio ſalubriter proviſum, ut aurifabri ex auro & argento juſtæ puritatis certique ponderis vaſa conflare debeant, in ſingulas videlicet marcas argenti puti ſeptē uncias *vid.* **R. A.** *Aug. de anno 1548. tit. 35. & 1577. T. 36.* Falſum ergò committunt, qui argentum temperatione ignobilius efficiunt, quatuor aut quinque tantùm unciarum, idque per Romanum imperium pro puro & juſto diſtribuunt. Secus ſi extra Rom. Imper. ubi pauciorum unciarum argentum receptum eſt; v. g. in Moſcovia, prout ſequens JCtorum Helmſt. reſponſum declarat:

Auf vorhergeſchriebene Facti ſpeciem, **und die daraus gezogene Frage erkennen wir** Decanus, Senior **und andere** Doctores **der Juriſten** Facultät **bey der Fürſtl.** Julius Univerſität **zu Helmſtädt / nach fleißiger Verleß: und Erwegung für Recht; obgleich das Silber vermög der Reichs Abſchiede zu 14. Loht / und in der Keyſerl. Freyen Reichs und anſee Stadt** Bremen, **nach deren** ſtatuto **zu 12½ Loht zu verarbeiten / der Goldſchmied aber die Marck zu 10½ Loht fein**

verfer-

verfertiget / und die Arbeit weder auf die Probe oder Schaue geliefert und probirt / weder sein eigen noch der Stadt / worunter er seshafftig ist / wapen darauf geschlagen; Dafern jedoch der Kauffmann mit ihme die Abrede genommen / daß die Arbeit nicht an einem Orte des Römischen Reichs / sondern ausser demselben nach der Moschaw solte gesand werden / die also verfertigte Becher auch warhafftig dahin transportirt / und das Silber alsdar in eben dem Gehalt bräuchlich / keine vetita merx ist / und von andern Orten in der qualität dahin gesand wird / Er / der Kauffmann auch das Gelöte zu $10\frac{1}{2}$ Loht darauff stechen / und bey dem Goldschmiede darumb machen lassen / damit Er demselben auf sein Ansuchen einen Verdienst gönnen möchte; so ist der Kaufman solches propter libertatem commerciorum zu thun wohl befugt gewesen / und wañ er in Mangel andern Beweises solches eydlich erhalten wird / er vom Prætore rerum criminalium mit einiger Geld-Busse nicht zu belegen / von Rechtswegen; Uhrkundlich wir dieses mit unser Facultät Insiegel betrucken lassen / so geschehen Helmstedt den 19. Augusti Anno 1663. cum quo responso convenit illud quod ad candē facti speciem à Nobilissima Facultate juridica hic Jenæ d. 8. 7tembr. ejusdem anni datum est.

Omnis generis panni certô ulnarum numerô, & quoad longitudinem & quoad latitudinem, constitêre quondam, quo de nullus modernorum mercatorum præstare poterit evictionem; & nihilominus tamen, ut pristinam mentiantur latitudinem, in complicandis iisdem ita aptè partem alteram alterâ latiorem constituere norunt, ut falsitatem lateris brevioris non nisi in replicando deprehendas; *conf. R.J.Col. 1512. §. 25. & Aug. 1548. T. 21. it. Francof. 1577. T. 21.* falsa quoque sigilla iisdem appendendo falsum committitur *Dn. Carpz. dict. Q. 93. n. 90.* Ipsa denique pondera, ulnas, modiosque adeò adulteratas habere solent, ut impossibile sit omnes penetrare aut præcavere in [illegible] fallacias, cui pari [illegible] spe-

ctum curâ in supra laudatis comitiis, artic. XII. cujus verba hæc sunt: Ob auch wegen Masse / Elen und Gewichte vor diesen in diesem Fürstenthümen/constitutiones, und insonderheit in Anno 1584. publicirt / deren renovation im itzigem seculo 1636. d. 16. Decembr. erwiedert; so gibt doch die Erfahrung und werden darüber Klagen eingeführet / daß auf den Landen / und bevorab in den Städten / die Leute von zuviel eigennützigen damnificirt / bevortheilet und schändlich beschmutzet worden. Darwieder hiermit eine jegliche Obrigkeit / auch Bürgermeister und Rähte in den Städten / wie nicht weniger die Gewerbe und Handels-Leute selber ernstlich verwarnet / ein schärffer Aufmercken / wie bis daher geschehen / darauf zu wenden / damit J. K. M. und F. D. bey ehest erfolgender inquisition bey selbigen Masse und Elen und Gewichte einem jeden gleich und recht im außmessen wiederfahre / aller dolus und Betrug abgestellet / und die darunter betreten / in ernstliche animadversion und Straffe / auch verlust Ehr und Redligkeit / gezogen werden / würcklich und in der That verspüren mögen / damit nicht nöthig sey / die Uberfahrer andern zum Beyspiel selber abzustraffen. Quod si tamen res aliena vendita sit, non falsi crimen committitur, sed actio venditi datur *l. 39. ff. de act. empti.* Sed ubi res eadem duobus citra rationabilē causam venditur, crimen falsi & stellionatus committi putant, per *l. 21. C. de Fals. l. 3. §. 1. Stellion. l. 36. de pignorat. act. Menoch. A. J. Q. cas. 381. n. 10. Boss. tit. de fals. n. 112. Christin. n. 24. Decis. 201. n. 17. add. Harpr. ad §. 7. J. de publ. judic. n. 7.* Prout & in contractu pignoratitio alienam rem pro sua jactans & oppignorans, non falsi crimen, sed Stellionatum committit. *vid. Dn. Schnobel. disp. π. XXIV, 23. inf. per l 6. §. 1. l. 36. §. fin. de pignor. act. l. 2. C. de crimin. Stellion. l. fin. ff. eod.*

Res nummis permutantur. Falsum autem *circa pecuniam* admittitur diversimodè: dum vel is qui nec jus monetandi ut principalis, nec exercitium monetandi à

princi-

principali conductum habet, vel conductam quidem habet officinam, sed vel extranei cujusdam Principis imaginem imprimit, vel ponderi quid detrahit, materiâ tamen intemeratâ relictâ, vel aliam planè materiam, argentum fortè vel cuprum loco auri, justô tamen pondere, adhibet, vel plus justo admiscet (notum enim est, licere aliquid peregrini metalli admiscere, taleris nimirum decimam sextam, ducatis secundam ultra septuagesimam cupri partem) vel denique radendo, vel frustula quædam effringendo, prout crucigeros plerosque triangulares hiatûs circumferre deprehendimus, quasi inter cudendum rupti essent. Carolus V. Imper hosce modos ad numerum ternarium revocat, in sua sanctione criminali, *art. 3. pr. verb.* in dreyerley Weise wird die Müntze gefälschet 1. wann einer betrüglicher Weise eines andern Zeichen drauf schläget 2. Wo einer unrecht Metall darzu setzet 3. so einer der müntze ihre rechte Schwehre gefährlich benimmet. Ante vero quàm modos hosce ulterius persequamur, inquirendum est, utrum hujus loci sit hæc tractatio? *an corruptio monetæ Falsum, an aliud crimen sit?* Equidem *Magn. Dn. Carpzov.* non solùm verbis id negat, sed & reapse id testatum ivit, dum *in pract. sua crim.* sub titulo Falsi *dict. Q.93.* nonnisi remissivè *n.94.* agit de falsatione monetę, sed sub titulum de crim. læsæ Majest. retulit, *q.42.n.12.* quapropter pœnam falsi saltem ei applicatam, in sua tamen natura crimen læsæ Majestatis esse, asserit; & sic utrumq; effatum subsistere posse concludit, ut nempe de utroque criminе participet. Forsitan hæc est mens ejus, esse quidem adulterationem monetæ crimen falsi, ast per hoc ipsum simul lædi principis Majestatem: sive esse crimen læsæ Majest. quod falsatione incurritur. Falsum enim reverâ esse, ipsa nemesis Carolina fatetur, verbo: gefälschet. Nobis in præsens alia de causa de eo non licet esse prolixioribus,

 quod

quod nec instituti, nec temporis, nec sumptuum ratio id permittat; quædam tamen infra de pœnis addentur.

In contractibus ipsis eorumque forma committitur falsum, si alius agatur, alius simuletur. v. g. de jure civil. donationes inter conjuges stante matrimoniô factæ, erant illicitæ; ne amor conjugū venalis evaderet, & magis ob lucrum, quàm affectum amarent, & facultatibus se invicem exhaurirent; Quam legem ita circumveniebant, ut venditione simulatâ reverâ donarent, pretiô unius nummi statutô vel penitus remissô; eo modô falsi crimen eos induisse putamus; Nisi tamen, cùm animum vendendi de cætero haberent, conjugi magis quàm extraneo vendiderint, ac de vero pretio convento partem remiserint; tunc enim non tota vitiatur emptio, sed supplementum exigitur, *vid. l. 5. §. 5. ff. de donati: inter vir. & uxor.* Emptio quæ unô nummô contingit, cujus exempla *vid. in l. 66. de jure dot. l. 46. Locati l. 10. in f. de acquir. poss.* &c. inter cæteros valet, non inter conjuges *l. 38. de contrah. empt.* Ulterius, moribus receptum est *jus congrui*, quô quibusdam jure vicinitatis rem ab alio distractam retrahere, & contractum in se derivare, excluso extraneo permissum: quod ut impediant venditores, simulant oppignorationem, quàm impedire nequit agnatus vel vicinus. In quibusdam pagis ad habitationes certi quidam fundi minutiores assignati sunt, quos Haus Länder vocant, quia sequuntur domum, utpore cui inseparabiliter cohærent, (forte, ut si non alios fundos tam citò comparare queat novus incola, vel his portiunculis interea utatur, oleribus ad minimum plantandis) Evenit aliquando, ut casu separata fuissent, cùm venditor forsan solam domum distraxisset, promissione emptori factâ, ut si unquam venales sibi forent istæ glebæ, jus protimiseos sive prælationis eidem competere debeat; sed nihilominus, ut eum jure sic quæsito defraudaret, prætextu oppignora-

gnorationis clam vendidit, atque cùm elapsis aliquot annis ædificii dominus fraude compertâ prædia ista rustica vindicaret, præscriptionis exceptio ob lapsum anni à possessore fuit allegata: Ex quibus apparet falsum in contractu emptionis admissum fuisse, cui titulus pignoris prætextus erat: qua de causa etiam, non attentâ exceptione istâ, obtinuit actor.

Contractûs aliqui per scripturam fiunt h.e. obstetricante quasi scripturâ producuntur; aliis verò jam tum perfectis scriptura saltem probationis causâ accedit, quandoque ab ipsis contrahentibus confecta, multoties verò per Notarium in Instrumentum redacta: tum ut de veritate facti, tum ut de solennitatibus juris adhibitis testetur. Ubi itidem variis modis falsum committitur, v. g. Si Tabellio falsò scribat pecuniam numeratam: aut quem præsentem contractui fuisse, *l.13. C. h.* aut si solennitates more receptas inserere rogatus neglexerit, aut contractum in re illicita fecerit, *l. 9.* §. 3. *ff. h. nostro tit. arg. l. 14.* §. 3. *de SS. eccles. l. f. C. de Magistr. conv. arg. l. 29. in f. & ibi Sichard. C. de Testam.* Si in die sive dato contractûs aut obligationis mentiuntur *l. 28. ff.* ubi diversæ lectiones, prolato - prælato (*de quib. vid. Gotofr. ib.*) *& l. 15. C. h. n. t.* Si quis chirographum alienum imitetur, aut libellum vel rationes radat, intercidat, deleat, describat *l. 16.* §. *2. l. 23. h.* Si quis in rationibus, tabulis, literis publicis, aliave re sine consignatione falsum fecerit vel ut verum non appareat, quid celaverit, subripuerit, deleverit, corruperit, demerit, adjecerit, inciderit, subjecerit, resignaverit, falsa sigilla appenderit *l. 1.* §. *4. l. 16.* §. *1. h.* P. H. G. O. *a. 112. Dn. Carpzov. q. 93. n. 62. seqq.* Quare & illi qui in sacris literis, verô & genuinô verborum intellectu adulteratô expunctove, fanaticos errores & corruptelas subdunt, à falsi crimine non excusantur *arg. d. l. 23. & 25. h. Bocer. Class. IV. D.*

15. th.

15. th. 15. Harpr. ad §. 7. J. de publ. jud. n. 25. Huc referimus quoque Magistratuum attestata extrajudicialia de casibus fortuitis, incendio, ruina, captivitate, quæ pro palliando mendicandi pruritu quidam sibi ipsi conficiunt falsche Kundschaften und Bettel Briefe. *Quid si testimonium legitimæ nativitatis sibimetipsi quis conficiat?* ex sequenti responso, quid statuendum, patebit. Demnach sprechen wir Ordinarius, Decanus Senior und andere Doctores der Juristen Facultät bey der Fürstl. Sächs. Universität Jena, V. R. Ist eure Mutter von einem Edelman/ einem Kriegs-Officier/ genohtzüchtiget und geschwängert/ und Ihr dahero gezeuget worden/ und habt ihr euch schon vor etzlichen Jahren legitimiren lassen/ auch fleißig von Jugend auf studiret/ auf eine von euer Heymaht weit abgelegene und frembde Universität euch begeben/ euere angefangene studia zu continuiren/ darauf ihr auch in Magistrum promoviret, wie nun bald darauf in der nähe bey einem von Adel ein Pfardienst vaciret/ habet Ihr euch angegeben und diese Antwort erhalten/ daß Ihr ein Zeugnüß eurer Geburt und Eltern bringen soltet/ darauf Ihr/ übele Nachrede/ so euch an euer Wohlfahrt und der vorhabenden Heyraht verhinderlich seyn möchte/ zuvermeiden/ euch ein Zeugnüß selbsten im Nahmen des Pfarherrn aufgesetzet/ als wehre euer Vater ein Schreiber gewesen/ und der Edelman euer Pate: welches Zeugnüß ihr durch jemand eurer Freunde abschreiben und euch zuschicken lassen/ jedoch daß des Pfarhern Hand nicht nachgemahlet worden/ darauf der Edelman euch dem Consistorio præsentiret/ so ohne Nachfrage wegen eurer Eltern/ wie es euch in der Lehre geschickt und zum Ministerio tüchtig befunden/ ordinirt/ welchen Pfardienst Ihr nun ins vierdte Jahr vertreten.

Wie nun vergangenen Michaeli sich in der Nähe ein ander Pfardienst erlediget/ dazu ihr recommendirt, euch auch ohne Befragung wegen eurer Eltern von dem Edelman in beyseyn seines Verwalters die Pfarre versprochen

ist

ist nach diesem von euern Mißgönnern vorgegeben worden / ob wehre euer Vater ein Büttel gewesen / dahero der Collator bewogen worden / an euren Edelman deßwegen zuschreiben / welcher Ihm das Zeugnüß so er von jenem mahl noch bey sich gehabt / geschicket / darauf ein Bote in eure Heymaht abgefertiget worden / welcher zu Rücke gebracht; wie eure Mutter von einem Tyllischen Capitain, so ein Edelman gewesen / genohtzüchtiget / hette sich aber beydes vor und nach ehrlich und Christlich gehalten / und nach diesem noch zwey ehrliche Ehemänner gehabt. Ob nun wol euch ein begangenes crimen falsi beygemessen werden wil / dennoch aber und dieweil ihr mit dem aufgesetzten Zeugnüß niemand Schaden zugefüget / sondern zu Abwendung eines unverdienten Schimpffes / und / damit eure Gebuhrt euch nicht zum Nachtheil gereichen möchte / solches vorgenommen / auch sonsten albereit legitimirt gewesen / und euch so wol auf Universitäten / als auch in eurem vierjährigem Predigambte wol verhalten / so möget ihr des criminis falsi nicht beschuldiget / und euch fernere Beforderung zu dem versprochenem Pfardienst nicht abgeschlagen werden.

Auch seyd ihr die jenige so die injurien, als wenn ihr eines Büttels Sohn wehret / und diese Ungelegenheit euch veruhrsachet / zumahln sie wieder eure erlangte legitimation dadurch gehandelt / zu belangen wol befügt. V. R. W. Jenæ d. 26. Febr. anno 1659.

Lusus imitantur quandoque contractûs, & sunt sponsionum genus in quibus ipsis falsum nullatenus exulat, ut in proverbium exierit aufm Spiel gilt falsch und alles. Sed enim qui chartis taxillisve abutitur, quin falsum committat, non dubito. vid. *Magnif. Dn. Carpzov. Cr. q. 93. num. 93.*

Cap. III.

De Ultimis Voluntatibus & judiciis, quomodo in iis falsum committatur.

Cùm

Cum lex Cornelia potissimùm falsationibus testamentorum obviet, meruit ut lex testamentaria vocaretur §. 7. *J. de publ. jud. l. 30. ff. h. t. Paulus V. receptar. sentent. 25. & Cic. 3. Verrin. sect. 108.* ubi & Nummariam dici testatur, quod & nummorum corruptiones inhibeat; nimirum opus erat, ut, in quo frequentius peccatur, ei cautiùs obvietur; frequentius autem peccatur, ubi occasio est commodior, & incitamenta sunt plura. Jam verò quis non videt, multos qui probi hactenus fuerunt, quod operæ pretium fortè non mereretur, ubi integra hæreditas præmium peccati futura est, facilius ad delinquendum invitari? Variè autem circa ultimas voluntates hoc crimen committitur. Aut enim ipsum integrum testamentum falsum scribitur, signatur, subjicitur, vivo testatore aperitur, resignatur, recitatur, celatur, supprimitur, furtim amovetur ac surripitur, aut vi eripitur, deletur, aboletur, interlinitur, vel, ut ab alio fiant hæc omnia, dolosè curatur: & lege Cornelia tanquam falsa vindicantur *d. §. 7. J. de publ. jud. l. 2. 7. 9. §. 3. l. 26. h. l 14. C. h. l. 38. § 5. 6. de pœnis,* quò pertinet 1. casus quem *Jul. Clarus Lib. 5. sententiarum §. testament. q 59.* suo tempore contigisse scribit, quo mulier sagax maritum mox atque expiraverat, è lecto extrahi fecit & alium pro eo supposuit, qui, fenestris thalami clausis & capite pannis involutô, simulans se propter infirmitatem vix loqui posse, cōdidit testamentum in quo uxorem instituit heredem & aliis personis diversa reliquit legata: & 2. alius, quem refert *Petr. Caball. resolut. crimin. cas. 176. n. 12.* de quodam legitimato, qui mortuo patre se supposuit in lecto loco patris denati, & convocatis Notario & testibus seipsum heredem instituit. Aut verò in eo saltem aliquid adscribitur, sive ei in cujus potestate est, sive ei quem habet in potestate; Nec juvátur, quòd testator jusserit; nisi per indulgentiam Principis pœna ei remissa sit *l. 35. C. de his qui sibi in te-*

stam.

ftam. adfcrib. l. 14. pr. ibi: licet juffu. 6. t. aut in teftamento nuncupativo hoc fecerit. *Treutl. vol. 2. D. 32. th. 8.* Nec excufatur licet legatum inutile fit, ruptô forte teftamentô vel non jure factô; modò id perfectum fit, *l. 6. pr. h. add. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. D. 32. th. 8. lit. I. K.* Licet etiam teftamentum militare fit, *l. 1. §. 7. h.* aut jus fe ignoraffe prætendat *l. 15. pr. h.* Et hæc cum pluribus aliis, quæ jam perfequi non vacat ex SCto Liboniano Legi Corneliæ acceſſerunt.

IN JUDICIIS inveniuntur perfonæ judicantes & litigantes, eæque vel principales vel acceſſoriæ. Judices ipfos & Magiftratûs falfum committere, non eft dubitandum, cùm Divus Severus lege Corneliâ de falfis damnaverit Præfectum Ægypti, quòd inftrumentis fuis, cùm præerat provinciæ, falfum commiferit, *l. 1. §. 4. ff. h. n. t.*

Sed & fi judex conftitutiones principum neglexerit, punitur *d. l. 1. §. 3. eod.* plus quàm autem negligit, qui adverfùs eas aut jus publicum pronunciat, *Paulus V. fentent. 23. §. 3.* ex malitia, vel munere corruptus, (juxta illud proverbium Germanicum: **hat einer Geld / so ist er ein Held / und der mit güldenen Aepffeln werfen kan der behält das Feld** *Guevarra part. 2.* **in den güldenen Sendschr.**) dolosè & ex propofito falsò judicat, & injuftam fert fententiam, fuppreſſo refponfo Scabinorum qui contrarium pronunciandum cenfuerunt. It. quando confenfum fuper hypotheca judiciali datum, dolosè ac in fraudem creditoris ex Archivo-judiciali furripit *Dn. Carpzov. q. 93. n. 52. feqq.*

Ipfi litigantes tam agendo & excipiendo quàm probando falfi crimen incurrunt. Cùm enim libellus inftar Syllogifmi fit conftruendus, cujus major ex jure, minor ex facto depromtus, hinc qui falfis & abrogatis edictis, refcriptis ac conftitutionibus, nullo habito authore, utun-

tur falsi fiunt rei, *l. 25. l. f. ff. h. l. 4. C. h. t.* quem in finem advocati vivâ voce seu scripto clientes suos defendentes, Imperatorum nomina legibus quas laudabant vel allegabant, olim adjungere cogebantur. An verò & quatenus legem abrogatam laudare liceat Vid. *Socin. reg. 285. pag. mihi 446.* Hodie quoque qui Edicta proposita dolo malo corrumpunt, falsi pœnâ plectuntur. *l. pen. pr. ff. h. t.* Pariter, qui judicem corrumpunt, vel corrumpi curant *l. 1. §. 2. h.* idem est, si delatorem, qui in inquisitorio processu instar actoris est, in causa pecuniaria submiserint *l. 9. §. f. h.* *Probationes* utrique communes sunt, cùm reus excipiendo vicem actoris subeat. Utuntur autem testibus & instrumentis. Illos si vel ab initio coemunt, vel certè ex postfacto corrumpunt, & ad falsum dicendum subornant, falsas testationes faciendas, testimoniave dicenda aut signanda dolô malô curant *l 1. pr. & §. 1. l. 9. §. f. h. N. 127. c. 20. Nov. Leonis 76. 77.* P. H. O *a. 68.* in crimen hoc incidunt, licet testes non proferantur aut falsum dicere recusaverint.. *Petr. Theodoric. Cor. Crim. Disp. VIII. th. 3. lit. B.* ut tamen mitigetur pœna *Dn. Carpz. d. q. 93. n. 12.* Corruptio autem ex variis indiciis arguenda est, unoque corrupto teste, etiam alii præsumuntur *vid. Farinac. prax. crim. Lib. 3. Tit. 7. q. 67.* Circa instrumenta delinquunt, si tale quis apud judicem protulerit quod probari non potest *l. 31. h. plura vid. cap. praeced.* Testes falsum committunt, tum in simplici depositione, tũ pecuniæ acceptatione. Illud, & veritatẽ reticendo, si fortè in judicio interrogati fuerint *c. 1. extr. de crim. falsi & ibi Hostiens.* & quæ falsa sunt deponendo: quod contingere quoq; putamus, si quis in judicio, ubi sub fide jurisjurandi receptus veritatẽ minimè reticere debuit, diversa testimonia duobus præbuerit, ut inde anceps fides vacillet *l. 27. pr. & §. 1. h.* nã ex testis varietate fraus præsumitur *l. 2. & 16. de Testibus N. 90. c. 3.* Nec aliter esse po-

potest

poteſt; cùm veritas non niſi ab una ſtare parte poſſit, verum enim unum eſt, falſa innumera; ac perpetuum in jure noſtro ſit, ut contraria proferenti non ſit credendum. Quod ſi extra judicium aliud, poſtea in judicio interrogatus verum aſſeveret, levitas magis extra ordinem, quàm falſum puniendum erit. *Menoch. A. J. Q. caſ.* 312. *Dn. Schnobel. XXIV. th.* 23. Si quis ob dicendum vel non dicendum teſtimonium pecuniam acceperit, falſus eſt *l.* 1. §. 2. *ibiq. Gothofr. h. t. l. 2. inf. de concuſſ.* Multò magis ſi, ut falſum perhibeat teſtimoniū, quantumvis ejus teſtimonium poſtea non fuit rogatum; accepiſſe enim pecuniam maleficium eſt, falſi pœnâ dignum, utcunquē vel non dixerit teſtimonium, vel verum dixerit. *Diſſent. Farinac. d. q.* 67. *n.* 220. *&* 265. Idem ſtatuimus ſi pecuniam acceperit, ut verum dicat *c. non ſanè. XIV. q.* 5. *Mynſing.* 6. *obſerv* 67. propter generalitatem *l.* 1. §. *ſ.* 2. *h.* tum, quia contra juramentum ſuum venit, quo promiſit, daß er die Warheit ſagen/ und ſolches weder umb Gifft noch Gaben thun oder laſſen wolle; tum quod depoſitio quæ per pecuniam fit, turpis ſit, adeoque non admittenda in probationem veritatis *arg. l.* 4. §. 4. *ff. de cond. ob turb. cauſ.* P. H. O. *a.* 64. *Diſſ. C. J. A. in h. t.* §. 2. *n.* 3. quod juris civil. æquitati non ſit conſentaneum, ut is de cujus veritate aperta conſtat, pœnæ ſit ſubjiciendus, ſiquidem ut falſi quis argui poſſit, requiritur dolus & immutatio veritatis; at verò, ubi veritas edicitur, neque dolus neque ejusdem ſimulatio, argui poteſt; Sed Rx. 1. neg. quòd falſum requirat mutationem, ſed imitationem, *ut ſupr. dictum.* 2. non punitur quòd verum dixit, ſed quod venale habuerit id quod gratis præſtare obſtrictus erat; nec dixerit ut verum, ſed præſtiterit ut venditum, ſecus facturus ſi nullam pecuniam acceperit, falſum quoq; dicturus, ſi merces ſolvatur: & vel ſic dolosè quid immutavit. Litigantibus accedūt Procuratores qui ſi fiāt præ-

 vari-

varicatores ac dolo malo proditâ causâ clientũ suorũ diversã partẽ adjuvãt, proprias probationes dissimulãt, causã adversariis donant, falsas exceptiones, probationes &c. admittunt, eos in lite vincere quibus superiores esse poterãt, patiuntur *l.* 1. §. *1. & §. 6. ff. ad SC. Turpill. l. 1. ff. de Prævar.* in criminis hujus reatum incidunt. vid. P. ♃. O. *a. 115.* Judicibus inserviunt delegati, nuncii, apparitores, quibus probè notanda est *l. 25. ff. h. n. t.* qui enim nomine Prætoris literas falsas reddidisse, edictumve falsum proposuisse dicetur, ex causa actione in factum pænali tenetur, quãquam lege Cornelia reus sit.

Cap. IV.

De Falso quod circa personas & res committitur.

OBjectum Falsi speciale sunt *persona & res*, quas imitando falsum committunt. In personis notetur sexus, nomen, ætas, sanitas corporis, conditio, status & similes affectiones ex quibus veritas dignoscitur, & consequenter si ea dolosè imitemur, falsum committitur. Si fœmina *sexum* mentiatur masculinum, aliquando & dignitatem Baronum aut comitum, æs alienum contrahat, cum aliis fæmellis sponsalia contrahat, & tandem omnibus imponat, cujus generis exempla obviam sunt, falsum esse utique existimamus. Cùm *nomina* ad placitum imponi soleant, quò facilius invicem dignosci homines queant, *l. 16. C. de ingen. manum.* adeoque error in nomine, dum de reipsa constet, non vitiet negotium, §. *29. J. de Legat.* attamen si quis dolosè aliud nomen assumat, retentâ suâ personâ v. gr. se Titium vocari, cùm sit Sempronius, vel alium planè hominem se fingat, ejus assumtô nomine, falsi reus erit; exempli causâ, si ob oris similitudinem cum

se

se esse dicat, cujus ora ferat: prout fœmina quædã Mediolani pro Rubina incendio cœteroquin consumpta, se jactavit, ut bonis ejus potiretur. Tolosę quoq; Arnoldus quispiã de Tilla ita facie formâq; repræsentabat Martinũ de Guerra, ut & uxori & affinibus ejus imponeret, referente *Menoch. d. cas. 318. n. 33.* quantas Moscoviæ turbas superiori seculo dederit fictitius quisquiam Demetrius, aliquoties redivivus, Magnũ ducem se gerens, *Dn. Olearius in Itinerario Persico* recenset *sub serie Magn. Duc. Mosc. p. m. 150*, Si quis *ætatem* falsò mentiatur, alios decipiendi causâ, Criminis hujus reus erit, v. gr. si minor se majorem dixerit ad alliciendum alios eò securius cum ipso contrahendum, cujusmodi casum refert *Magnif. Dn. Carpzov. pr. Cr. q. 93. n.* 42.

Sanitas & ægritudo affectiones sunt hominum, quibus pariter atque reliquis circumstantiis certificari & dignosci possint; quare si quis imitetur simuletve morbos, vulnera, delirium, epilepsiam, carentiam linguæ; vel defectus naturæ alios simulent, ut donaria emendicent, furti & falsi imaginem habet.

Conditio personæ, quatenus diversum quid est à statu, reliquas exteriores habitudines, per quas in civitate quis talis aut talis existimatur, significat: nobilitatem sc., professionem seu vitæ genus, aliasve qualitates. Sic, versari adhuc extra pomœria ecclesiæ Christianæ inter Ethnicos aut Judæos, certa personæ Conditio est, quam si quis falsò imitetur ac Judæum se mentiatur, ad hoc ut baptizetur, muneraq; baptizandis donari solita lucretur, sine dubio falsum committet. Frequens hoc vitium est vagabundo isti hominum generi, quod Zygeiner vocant, quibus parum est abuti sacramentis, dum vitam humanam nundinas credunt, fidemq; Christianam contractum, adeoq; ex omni negotio lucrum quærendum autumant: elegans exem-

exemplum leges apud *Dn Carpz. d. l. n. 44.* Si quis Studiosum se simulet, ut eorum privilegiis gaudeat, vectigalia defraudet, à Crimine nostro haud immunis erit; vel Senatorem, ut pariter eorum prærogativâ in præjudicium aliorum fruatur. Quo pertinent exempla eorum qui nobiles se jactitarunt, vel eum in finem ut mendicando pinguiores eleemosynas eliciant, vel licentiâ laxiori queant uti, recensita *d. q. 9. 3. n. 39. 40.* nec minus elegans personati cujusdam Emanuelis Phocæ, Constantinopolitani, ex illustri veterum Impp. Græcorũ familia se natum jactantis, de quo *id. ib. n. 98.* Huc refer si quis illicitis insignibus usus fuerit, pro milite se gesserit, falso diplomate vias commeaverit *l. 27, §. f. h. Paulus V. sententiar. 25.* §. 11. Si pro Doctor, pro Comite Palatino se gesserit, actusve illis peculiares ac proprios exercuerit, Notarios, Poëtas creaverit, spurios legitimaverit; quod si tamen nudè se talem quis jactaverit, mendacium magis quàm falsum erit. *Status* personarum est civilis eaque essentialis atque intrinseca earum conditio, quâ vel incerta familia vel civitate vel libertate vivunt. Quare si qui liberorum hominum conditionem dolosè imitentur, à falso vix erunt immunes. Ut & nec illi qui familiam mentiuntur in aliorum præjudicium, id quod dupliciter evenire potest, vel 1. partum alienum supponendo *l. 19. §. 1. l. 3. l. 30. §. 1. l. 1. ff. de agnosc. & alend. lib.* licet hoc non ab obstetricibus sed ab ipsis Larensibus fiat, dummodo per hoc aliis damnum intulerint: Pone, ob prolis masculæ defectum familiam quãdam extinctam, feudumve apertum ad Dominum reversum fuisse, vasallum verò in agnatorum vel Domini præjudicium filium supposuisse; aut novercam in præjudicium liberorum prioris matrimonii ventrem simulasse partumque emptitium iisdem obtrusisse quò unà de hereditate participaret fortè opulenta.

Ita alium in finem partus supponi solent, ut imprægnatas se ab aliis fingant, atque adeò pro defloratione atque putativo serto virgineo majorem pecuniæ copiam à stupratore extorqueant. *Vel 2.* seipsum ex certa familia oriundum in cujusdam odium fingere: de quo exemplum legitur apud *Ant. Fab: in Cod. lib. 9. T. 16. d. 1.* ubi carnifex quidam honesti alicujus viri & advocati nomen sibi arrogaverat, seq; pro agnato ejus publicè, falsò & dolosè, jactitaverat, ut probi & nobilis viri existimationem læderet, aut ab eo pecuniam, ne id faceret, extorqueret.

Extremum occupent locum qui non in ipsis personis nec ulla eorundem affectione quid imitantur, sed proprio habitu mutato, peregrino, ridiculoque utentes vestitu, personati & larvati incedunt, initâque ludendi ac fallendi alios societate, falsorum taxillorum jactu homines decipiunt, quos Spitzbuben/ Putzenmaker vocitare liceat, de quibus vid. *Dn. Carpz. d. q. 93. n. 92.*

Methodi leges exposcunt, ut visis personis *de rebus* quoque agamus, quoniam tamen jam *supra c. 2.* occasione contractuum pluscula de iis dixisse videmur, pauca & quasi omissa hîc subjungemus; Ac primùm operæ pretium facturos nos arbitramur, si in naturam hujus delicti, ejusque *ab ædilitio edicto discrepantiam* paulò penitius introspiciamus. Cùm enim certum sit, vendentium calliditati, & fallaciis illud esse oppositum *l. 11. §. 2. l. 37. ff. de ædil. edict.* meritò dubitaveris, utrum ea quæ dictum Edictum vindicat, sint species Falsi, an quid diversum? Ecquid non omnem fallaciam ad hoc nostrum delictum referre liceat? & quænam propriè ad illud edictum spectent? Pro quarum quæstionum resolutione notandum, Edicti Ædilitii partim angustiores esse, quàm Legis Corneliæ, terminos: illud ad res tantùm easque venales pertinet; hæc verò, ut jam dictum, etiam ad personas. Illud ad contractum emptio-

nis principaliter, & per extensionem ad eos solos qui emptioni sunt similes *l. 19. §. 5. ff. de ædilit. Edict.* Hæc verò ad cæteros quoque pertinet actûs, judiciales & extrajudiciales. Partim ampliores, dum lex Cornelia solùm dolum vindicat, Ædiles verò, sive calliditate venditoris emptori vitium rei non fuerit revelatum *l. 38. l. 14. §. 9. eod.* sive ignorantiâ ejus *l. 1. §. 2. d. t.* edixerunt, sicut & si ea, quæ de re emta affirmaverit aut promiserit venditor, non præstiterit *v. l. 19. l. 38. §. 10. eod.* Ita tamen ut ex edicto, tanquã privato judicio, actiones oriantur civiles, ex L. Cornelia verò, tanquam judicio publico, etiã criminales; Adeoque Lex Cornelia de ea falsitate loquitur, quâ ex proposito immutant imitanturq; veritatem: Ædiles verò de vitiis citra factum venditorum extantibus, & ab iis saltem occultatis & non detectis; vel ubi pro alliciendis emtoribus res plus justo fuit, absque mutatione, laudata. Non tamen negaverim, si quis putet, quibusdam casibus utrumque concurrere, ut deceptus privatô; Respublica verò publico Legis Corneliæ judicio unum idemque crimen vindicent; productum enim Edictum ex ejus mente ad cœteras res omnes, mobiles & immobiles, quarum usus morbo vitiove impeditur *l. 1. pr. l. 49. l. 63. ff. & l. 4. C. de ædilitio edicto,* ubi si vitium dolosè occultatum & imitatione quadam rei sanitas & perfectio repræsentata sit, & falsum erit commissum, Lege Cornelia vindicandum, & nihilominus læsus redhibitoria vel æstimatoria suum interesse consequi poterit.

Res perinde ut homines certis nominibus atque titulis insigniuntur ac distinguuntur; quapropter si quis 1. injustarum causarum desperatione, potentiorum nomine titulos prædiis litigiosis affigat, veluti arma, insignia gentilitia, effigiem aut nomen alicujus potentis, Prælati, Ecclesiæ, quasi eorum sit possessor, ut sic Dominus ab illis prædiis

diis vindicandis & repetendis deterreatur, falsus erit; de quibus conqueritur Augustinus in Psal. XXI. his verbis: Ne domum ipsius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces; ipse vult esse possessor, & frontem domûs suæ de alieno titulo muniri, ut, cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentiâ nominis, abstineat à petitione. *Plura vid. Lib. II. C. Tit. XV. de his, qui potentior. nom. tit. præd. affig.* add. *Nov. XVII. c. 15. N. CLXIV. c. 1.* (2.) si quis privatus titulos prædiis suis vel alienis imponat, vel vela regia suspendat eâ intentione, ut ad fiscum vel principem pertinere significet, quod tamen est privatorum *vid. Tit. XVI. Cod. Lib. 2.* (3.) Si quis signa tabulis, aut titulos rebus alienis impresserit, imposuerit, suspenderit, vel nomen suum suprascripserit; cujusmodi exemplum legitur *in l. 36. pr. ff. ad municip. vid. lib. 1. C. tit. XVII. Novell. CLXIV. & N. XXVIII. c. 5. l. 22. §. 2. ff. quod vi aut clam. l. 1. 2. C. ut nem. lic. sin. jud.*

CAP. V.

De propria natura falsi, & quibus modis id non committatur.

RAtio formalis hujus delicti in genere consistit *in dolo*, per eum enim separatur à reliquis actibus licitis, ad hoc ut delictum sit: Nec tamen dolus præsumtus sufficit, sed verè illum adfuisse probandum, alioquin in dubio error præsumitur. *l. 1 inf. C. de his qui sibi in test.* Menoch. *l. 3. cons. 221. n. 15. 16.* per occultationem verò, suppressionem, imitationem & obtrusionem aliûs pro alio, speciale hoc delictum constituitur, ita ut falsum dicatur. Neque necesse ac perpetuum est, ut res mutentur, prout contingit in corruptione ponderum, ulnarum &c. sed multoties res suô quodam vitiô corruptæ pro integris, probis ac sanis offeruntur, ut merces; haut rarò merces integræ ac sa-

næ in ſe, ſed non illæ, quas alter deſiderabat, offeruntur. Poſtquam tamen hæc omnia jam *ſupra cap.* 1. præmonita, hôc locô ſaltem per modum concluſionis inferimus, tria ad hoc delictum conſtituendum requiri atque concurrere debere, 1. ſuppreſſionem ſeu imitationem, 2. dolum & lædendi intentionem, & denique 3. ipſum eventum & læſionem: & conſeq. ſicubi requiſita hæc abſint, Falſum non erit; nec alterutrum adeſſe ſufficit: ne alioquin falſum dicamus, ſi medicus amara pharmaca ſaccharô edulcata porrigit, ubi quidem veritatem pharmacorum dulcium, ægroti decipiendi gratiâ, imitatur, ſed absque dolo & animo lædendi. Hinc licet falſum nomen vel cognomen adſumens falſum committat, *l. 13. pr. ff. de Falſ. l. 4. C. de Teſtam.* ſi tamen ſine fraude licitô jure fecerit, falſi reus non erit *l. un. C. de mut. nom.* imò ſæpè intereſt, ut quis alterius nomen & familiā, v. g. arrogatoris; ſervus manumiſſus Patroni nomen adſumat; nam & heres inſtitutus nomen teſtatoris ſuſcipere ſolet, imò interdum debet, ſi inſtitutus ſit ſub conditione gerendi certi nominis aut cognominis, aut ſumendi defuncti vel alterius honeſti hominis inſignia: Secus eſt in famoſo & turpi nomine. add. Charond. *lib. IX. Reſp.* 48. Menoch. *A. J. Q. caſ.* 318. *Opponuntur autem dolo* (1.) Error, ignorantia, ſimplicitas; quapropter falſi accuſatio non naſcitur, ſi quis falſum dixerit ſine dolo *l.* 22. *h.* aut per errorem falſum ſcripſerit *l. 20. C. h.* Si quis errore fortuito, non dolo malo contraria teſtificetur *N. XC. c. 3. & c. un. x. de Scrutin.* Si quis per errorem falſa inſtrumenta aut teſtes produxerit *l. 31. h. fac. l.* 1. §. *1. &* 2. *eod.* Si quis in calculo vel ratione mentiatur *l. 23. h.* cùm in eo errorem commiſſum etiam prudentioribus prætexere liceat *l. un. C. de error. Calc.* Si quis ignoranter falſam monetam expenderit, quod alias ſi dolô fiat, gladiô puniri ſolet. Vid. Menoch. *A. J. Q. caſ.* 316. *n.* 55. (2.) pro-

pria

pria deceptio, v. g. si is qui falsis rescriptionibus usus est, per alium ipse deceptus sit prius, & suam innocentiam probare, eumque à quo accepit, exhibere possit *l. 4. C. h.* (3.) Oblivio; unde si Notarius ex causa oblivionis instrumentum, quod olim acceperat, celaverit, falsi reus non erit. Menoch *cas. 311. n. 3.*

Pari modo, cessante secundô requisitô, nim. suppressione s. imitatione, falsum non committitur; atque adeò, si quis acceptâ, ob falsum dicendum testimonium, pecuniâ, nondum dixerit quicquam, falsus non erit, juxta Menoch. *cas. 310,* Bocer. *Cass. IV. D. 15. thes. 62. vid. sup. cap. 3. de Testib.* Si falsum instrumentum non fecerit aut scripserit ipse, sed saltem recitaverit quis compositum ab aliis, in L. Cornel. non incidit. per *l. 8. C. & l. 13. §. 1. ff. h.* ubi advocatus ob falsi recitationem 10. annis ordine movetur, & post finem temporis dignitatem respondendi recuperat, juxta *l. 2. pr. de Decur. l. 4. C. h. t.* atque ita ob recitationem falsi ordine motus infamis non censetur *arg. l. 13. §. 1. ibiq. Gothofr. lit. U ff. h. n. t.* Quòd si quis non veritatis occultandæ, sed furti causâ instrumenta celaverit, falsum equidem non erit, sed furtum *d. l. 27. ff. de furtis,* Menoch. *cas. 311. n. 9.* Similiter si quis in moneta publica operans extrinsecus pecuniam sibi signaverit formâ publicâ, vel signatam furetur, is non videtur adulterinam monetam exercuisse, sed furtum publicæ monetæ fecisse, idque ad peculatûs crimen accedit *l. 6. § 1. ff. ad L. Juliam Pecul.*

Denique ob defectum ultimi requisiti, Læsionis, falsi crimen non incurritur, v. g. Si quis non nocendi animô, sed pro salvanda rei vita & existimatione falsum dixerit, *juxta Dd. opinionem v. Jul. Clar. §. 31. & ibi Bajard. n. 32.* Si quis suppresserit instrumentum invalidum, quod nemini nocere possit. Menoch. *cas. 311. n. 9.* Si quis testamentum, quod nullô jure valet, suppresserit, *l. 38. §. 6. de pœnis. l. 6.*

 pr. vers.

pr. verſ. hoc tamen. ff. h. n. t. aut legatum in teſtamento nondum perfecto, rupto, injuſto adſcripſerit, *ibid.* Si quis falſas monetas ludendi, non expendendi causâ poſſidet. Menoch. *caſ. 316. n. 62.* Bocer. *claſſ. IV. D. 15. th. 43.* vel ſi maximè ab initio lædendi habuerit intentionem, maturè tamen & re adhuc integrâ voluntatem pœnitendo mutaverit, adeoque falſi inſtrumenti, quod alii machinati ſunt, uſu abſtinuerit *l. 8. C. h.* quia pœnitentia usque ad ſententiam definitivam admittitur *l. 24.* ubi Gothofr. *lit. Q. ff. h.* Menoch. *caſ.* 312. *n. 29.* Harprecht. *ad h. t. n.* 131. It. Si quis à moneta percutienda deſtiterit, totumque formare noluerit *l. 19. pr. h.* Menoch. *cap. 316. n. 23.*

Cap. VI.

Quidnam efficiat, ut actus quispiam ſit peccaminoſus & Falſus: & de intentione delinquentium.

CAuſæ externæ hujus delicti ſunt Efficiens & Finalis. *Efficiens* iterum vel remota vel propinqua. Per hanc intelligimus ipſum delinquentem, quem *ſupr. ſub tit. de ſubjecto* collocavimus. Præſupponimus autem hîc, tanquam aliunde ſatis nota, requiſita ſc. obligationum & quinam ex ſuis actibus obligari poſſint, & excipimus impuberes, furioſos, errantes &c. *l. 31. ff. h. t.* Delinquit verò aliquis vel per ſe & in propria perſona, vel per alium: vel à priori, jubendo; vel à poſteriori, ratum habendo; vel concurrendo, opem conſilium ferendo, non prohibendo *l. 9. §. 1. ff. h.* aliquando conſcii reatum incurrunt. *vid. l. 1. C. de Falſ. mon.* Hasce perſonas libet vocare ſubjectum activum, operans, ſuperius. Illi verò qui decipiuntur vel quibus quis imponere conatur, paſſivum nobis erunt ſubjectum. Sed annon hi propriæ imputabunt ſtupiditati, quòd decipi ſe paſſi fuerint, quòd cautius mercati non

fue-

fuerint? annon licitum est naturaliter in contractibus se circumvenire? juxta illud vulgi: Qui non aperit oculos, aperiat loculos. Verùm longè alius illius brocardici sensus est, quòd conditio humana non patiatur, eô quidlibet pretiô quô comparatum est, vicissim distrahere; sed natura cuilibet operi suum indiderit pretium, unde vivamus, cui quoque liceat impunè inhiare, dum absque fraude fiat atque dolo.

Causa remota cujuslibet delicti est *Lex*, sive dispositio Legislatoris, quæ hunc vel illum actum approbat vel reprobat; & prout lex vel naturæ vel positiva est, quæ prohibet, ita quoque actus naturâ vel civitate probrosus erit. Hoc ipsum Imper. Justinianus innuit, quando *pr. I. de suspect. tutor.* crimen suspecti *ex L.XII.tabb.* esse dicit. Quanquam enim materialiter loquendo actum ipsum celebrat is qui delinquit, neutiquam tamen sub ratione mali eum perpetrat, nec credit se delinquere, sed, licet falsò persuasus, licere sibi vel hac ratione vitæ subsidia quærere, atque in contrahendo alterum circumvenire; unde, ut actus aliquis selectus, bonus vel malus sit, Legislator, quicunque etiam sit, disponit. Quos equidem natura damnat, in se mali sunt quantumvis lege civili non improbentur. Quos verò lex civilis reprobat, mali quidem sunt, non tamen quasi in se tales, & ante rejectionem fuerint, sed quia rejecti sunt. Licet autem actûs ad nostrum delictum pertinentes in se satis sint vitiosi ac turpes, propter subdolam calliditatem, quæ ingenua & candida nullatenus decet pectora, adeoque absque conscientiæ morsu perpetrari non possint; tamē ad hoc, ut in civili vita iis abstineretur, dictamen conscientiæ non sufficiebat, quippe multi reperiuntur, qui dummodò, quæ cupiunt, obtineant, intrinsecos istos non curant morsûs atque punctiones; unde quia per hoc beatitudo civilis haud parùm læditur, privati autem

his

his excludendis, impediendis aut vindicandis pares non existunt, cura hæc ad ipsam remp. & qui ei præest, devoluta fuit: & quidem in specie in rep. Rom. de cujus jure in præsens agitur, susceperunt id negotii, modò Populus, modò Senatus, modò Principes, modò JCti. Unde evenit *ut rubr. ff. h. n. t.* bimembris sit, provocetque ad Legem Corneliam & SCtum Libonianum. *Lex Cornelia* dicitur ab Authore suo, L. Cornelio Sylla Dictatore, de quo *v. l. 2. §. 32. ff. de Or. j.* ut qui populô rogante eam tulit. De modo leges apud Roman. rogandi, & cœtera eorum legumlatione jam prolixius agere non vacat. Gessit autem L. Cornelius Sylla Felix Dictaturam juxtaque Consulatum cum Qu. Cæcilio Metello Pio *A. U. C. DC LXXIII.* suâque hac lege plura complexus est. Præprimis verò, cùm de Falso essent quidem Leges antiquæ, illud tamen crimen latissimè pateret, atque omnia, quæ falso dicta aut scripta aut facta in alterius damnum essent, dictæ leges hoc nomine complecterentur, nec certi essent super hac re Prætores, Sylla noster cum laudato Collega suo, anno supra dicto, relatis legibus certum etiam Prætorem huic crimini addidit, ac sequentia de Falso cavit; *Prætor, qui ex hac lege quæret, de ejus capite quærito, qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subjecerit, resignaverit: quiq; testamentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, dolo malo id factum erit. Qui sibi legatum, fideicommissumq; adscripserit. Qui nomine Prætoris literas falsas reddiderit, edictumq; falsum proposuerit. Deq; ejus capite quærito, qui ob falsas testationes faciendas, testimoniave falsa invicem dicenda dolô malô coierit, quiq; judicem corruperit corrumpendumq; curaverit. Deq; ejus capite quærito, qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit vel finxerit, qui in aurum vitii quid indiderit: qui argenteos nummos adulterinos flaverit, qui cùm prohibere tale quid posset, non prohibuit.*

buit. Qui nummos stanneos, plumbeos emerit, vendiderit dolò malò, eiq́; damnato aquâ & igni interdicito. Unde propter contenta hæc modò testamentaria lex dicitur, §. *6. I. de publ. jud. l.* 1. *ff. eod. l.* 30. *ff. h. n. t. l. 6.* §. 1. *ff. de extraord. crim.* modò nummaria, *vid. Cicero Verrin.* 3. *& de Nat. Deor. lib. 3.* Sed cùm temporis successu lex ista sufficere non videretur, multa per Senatum determinata, eique annexa sunt. *Paulus JC. lib. 22.* quæstionum allegat SCtum, quo prohibemur, nobis vel his quos in potestate habemus, adscribere legatum *l. 14. ff. h. t.* & Callistratus *lib.* 1. *24.* aliud caput refert, *l. 15.* §. *2. h.* Factum autem in hanc rem SCtum sub Tiberio Imperatore, Statilió Taurô & Libone Coss. Cujac. *paratitl. C. hic. & C. de his qui lib.* in quod Paulus singulari libro commentatus est, ex quo *lex 22. ff. h. t.* est depromta. Disponit autem de iis, qui adhibiti ad alienum testamentum scribendum, in eo vel hereditatem vel aliud quiddam emolumenti, patientiâ, voluntate vel jussu Testatoris adscripserint; quod quasi Falsum dicitur. Posteà verò vim suam etiam in eos exercere cepit, qui alia falsa instrumenta quàm testamenta dolo malo signârunt, signarive curârunt *l.* 1. §. *4. l. 9.* §. *3. l. 16.* §. 1. *& passim ff. h. n. t. Paulus lib. V. sent. T. 25.* nec movet, quod ibi legi potius Corneliæ adscribuntur; Nam fit hoc propter applicationem, quia Senatus legi Corneliæ, quæ aliàs de nullo alio instrumento quàm de testamento loquebatur, ea adjecit, ejusq; pœnam eò extendit. Ut adeò differentia inter Legem Cornel. & SCt. Libonianũ ea intercedat, ut ibi demum Falsum sit, & legi Corneliæ locus, si qui adhibitus & advocatus ad scribendum alienum testamẽtum in eo sibi vel hereditatẽ vel legatum vel fideicommissum, vel libertatem vel quid aliud emolumentum *invito & ignorante* Testatore sibi adscribat: Falsum verò non sit, si hoc faciat *volente & jubente* testatore; sed quasi Falsum & SCto Liboniano lo-

cus; quo utique punitur, tametsi id quod sibi adscripsit pro non scripto habeatur & cedat heredi scripto vel coheredi vel substituto.

Nec tamen solum hoc SCtum fuit; Nam frustra cæteroquin in plurali locutus fuisset Macer. lib. 1. Public. quando *l.10.pr.ff. h.n.t.* dicitur; *nihil SCtis cavetur:* nimir. sub eodem imper. Tiberio aliud SCtum, Licinio Vrùm & Taurô Coss. factum est, quo ejusdem legis pœna irrogatur ei, qui falsas testationes faciendas, testimoniave, pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coiverit aut aliquam obligationem interposuerit, & qui coierit ad accusationem innocentium. Et aliud, Geminis Coss., quo eâdem adficitur, qui ob denunciandum vel non denunciandum remittendumve testimonium pecuniam acceperit *v. l. 2. ff. de concuss. l. 1. ff. h. n. t.* Non est omittendum hac de re, qua de primùm factum est *SCtum Libonianum*, authore Tiberio, & postea factum fuisse aliud SCtum ex Edicto D. Claudii *l. 3. C. de his qui sibi adscr. in testam. l. 15. ff. h. n. t.* quod *SCtum Claudianum* dicitur. Ut adeò distincta SCta de una eademque re sint facta; quod partim ex *alleg. l. 10. pr. ff. h. n. t.* partim ex inscriptione libri singularis Pauli ad SCtum Libonianum s. Claudianum, probari potest. Postmodum Impp. Antoninus *l. 1. C. h. n. t.* Valerius & Gallienus *l. 2. C. h. t.* Diocletianus & Maximianus *l. 10. eod.* JCti quoque plura *per interpretationem* addiderunt, quæ in republ. libera ex communi placito usuque fori: ex Imperatorum verò authoritate in republ. occupata increbuerunt. Ut adeò denuò repetere liceat, causam hujus nostri delicti efficientem esse Legem, seu eum penes quem suprema in rep. est potestas. Nec statuimus tamen, inde injuriam promanare unde jus oriri debeat; Nec sanctissimam legem vel ipsos juris conditores falsariis exæquamus, authores aut perpetratores præsentis delicti statuimus,

mus, ſed comparamus delinquentes alicui in tenebris agenti (ſicut & in ſacro Codice dicitur; qui mala facit, odit lumen: & peccata vocantur opera tenebrarum) lumine ſuperveniente pateſiunt omnia, quæ in obſcuro peregit. Lex lumen eſt & cauſa peccati per revelationem, per damnationem actuum, eo ipſo quòd manifeſtat & declarat hoc vel illud factum pro doloſo aut culpoſo; quorſum inclinat Apoſtolus alicubi inquiens: concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum niſi lex dixiſſet non concupiſces; abſque legis enim prohibitione ſi eſſet, actùs illi non eſſent peccaminoſi.

Cauſa finalis & ſcopus Falſariorum eſt, ut ſi poſſibile ſit, proximo imponant, quâ ſuâ intentione obtentâ effectus adeſt, ipſa deceptio & conſequens læſio. Læditur autem directò & immediatè is cum quo contrahitur, mediatè verò & Reſpublica, quæ ſcopum ſuum, quô cuilibet civium ſummum bonum politicum & beatitudinem civilem præſtare allaborat, per hoc obtinere nequit; ex quo fluit, ut & pauciores eò ſe conferant ibi vivendi causâ, qui verò ibi ſunt vel ſedes mutent, vel cum concivibus in diſſidiis vivant, ex indignatione verò tandem ipſi reipubl. malè cupere incipiant, quòd ſufficienti ac deſiderata defenſione non fruantur. Quæ tamen huic malo per leges, judicia & pœnas obviam ivit. Lex alternativè obligat vel ad obedientiam & non fallendum, vel ad pœnam & emendationem, damnique reſarcitionem. Cùm verò ſperandum vix ſit, quòd ſponte ſe quis pœnæ ſit oblaturus, privati autem nec poſſint (nam par in párem non habet imperium) nec debeant concives coercere & punire (cùm non ſit privatis permittendum, quòd publicè fieri intereſt) ideò Reſpublica judicia conſtituit, eaque ſufficienti authoritate & poteſtate munivit, ne ludibrio ſint condemnatis; eò remittuntur læſi, ut ſi quas putent petitiones ſe habere, actionibus experiantur. *l.13.ff.quod m.cauſ.*

De delicto Falsi vindicando.

POstquam crimen Falsi extra suas causas constitutum sic repræsentavimus, restat, ut *officium magistratûs* circa idem puniendum consideremus: illud autem potissimum se exerit in judicio: quoniam autem crimen Falsi publicum est, ideò & judicio non nisi publico vindicandum. Non autem omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt, sed ea tantùm, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt, seu quæ ad dissipationem statûs publici vergunt. Nec tamen ideò publica dicta sunt, quod cuivis ex populo eorum executio detur, quia eadem nominis ratio obtineret quoque in popularibus, publicum enim est quasi populicum; sed quia legibus publica facta sunt, id est, quia lege constitutum est, ut quæstio publica instituatur de eo crimine. Publicas autem quæstiones Cornelius Sylla constituit, veluti de Falso, de Parricidio, de Sicariis.

Forum competens præsenti delicto est *Romæ* apud Præfectũ urbi, utpote ad quem spectabat de omnib9 criminibus cognitio *l. 1. pr.* J. §. *4. ff. de off. Præf. Urb. in provinciis* apud Rectores earundem s. Præsides *l. 9. & 10. C. h. t.* Prætoribus urbanis verò in facinorosos animadvertere non licuit *l. 1. §. f. l. 2. de suspect. tutor.* vid. Magn. Dn. Struv. *Synt. jur. Civ. D. IV. th. 17. & 23.* poterit tamen & pedaneus judex vel delegatus incidenter de falso cognoscere, licet principaliter de eo judicare nequeat, *arg. l. 3. C. de judic.* Ergò de crimine aliquo incidenter coram quocunque judice agi potest: & judex est etiam judex causæ exceptæ, si ea incidat, *l. 1. C. h. n. t.* Menoch. *A. J. Q. L. 1. q. 91. n. 7.* Fachin. *L. 1. c. 4.* *Modum procedendi* quod attinet, duplex ille est, Civilis & Criminalis; potest enim civilis quoque in factum actio institui, *l. 5. 9. & 23. C. h. n. t. l. 25. ff. eod. l. un. C. quand. civil. actio crim. præjud.* Sic damnatus ex falsis instrumentis, civi-

liter

liter in id, quod intereſt ſuâ, agere poteſt; vel ſi nondum condemnatus ſit, agnitâ falſitate, officio judicis in tantam ſummam condemnari Falſarium, in quantum actum apud eum eſt; vel in minorē, prout ei videbitur, Cujac. *XIII.O.38.* *add. l. 11. §. 1. in f. ff. de accuſ.* Et hoc caſu ad accuſandum illos ſolos admitti credo, quorum intereſt, ſeu quos immediatè decepit alter, *l. 30. §. 1. ff. h. l. 5. pr. ff. de his quæ ut indign.* In perſecutione autem criminali (cujus ordinem antiquum prolixè recenſet Gothofr. ad *l. 8. ff. de publ. jud.* ubi videri poteſt) quilibet è populo admittitur, *vid. §. 1. I. de publ. jud. d. l. 30. §. 1. ff. h.* Nam intereſt Reip. plures eſſe qui eam defendant ac vindicent; id quoque à quolibet cive requirit præſtitum homagium, quo juravit, & inter alia promiſit, daß Er ſeines Herrn Beſtes werben / Schaden warnen wolle/&c. (Exceptô quod de partu ſuppoſito ſoli accuſent parentes, *l. 30. h. t.* ad imitationem adulterii, ubi etiam non quivis è populo admittitur. *l. 30, C. ad L. Jul. de adult.*) Licet autem mulieri in aliena cauſa falſi, utcunque ejus interſit, accuſare non permittatur, *l. 19. C. h. fac. l. 1. §. 10. ad SCt. Turpill.* in totum tamen fœminæ non excluduntur, *l. 2. pr. ff. de accuſ.* quin ſervus quoque admittatur, *l. 7. ff. h.* etiam contra proprium Dominum monetas falſantem, *l. 53. ff. de judic.* An etiam illi, qui ſemel transegerunt, admittantur? *vid. l. 7. ibiq; eleganter Gothofr. C. h. t.* Ecquid heredes quoque audiendi? Diſt. ut *affirm. in civilibus*, quia pecuniarium perſequuntur intereſſe. Unde ob partum ſuppoſitum heredes conquerentes audiuntur *l. 1. C. h.* non tamen huc pertinet caſus *l. 3. ff. & l. 3. C. h. l. 5. pr. ff. de his quæ ut indign. auf.* ubi heres inſtitutus, agnitâ jam tum hereditate falſitatem reſciſcens accuſat teſtamentum; quia heres quidem eſt, non tamen ejus qui de falſo agere potuit; nec in accuſatione cuiquam ſuccedit. Sed primus eam inſtituere poteſt, & heres quidem, ſed tamen ratione

hereditariæ successionis saltem vocatur, *Neq. in criminalibus*: quia ibi non ut heredes, sed ut quivis alii è populo admittuntur *l.5.§.5.ff. de his qui dej. vel effud.* Reus criminis hujus postulari potest quilibet qui modò habilis est ad illud committendum (removemus verò pupillos, furiosos &c.) imò in conscios, qui nihil ipsi deliquerunt, accusatio datur, *l. 1. C. de fals. mon.* P. H. O. *a.* 111. item eos, qui cùm possent, non prohibuerunt, *l. 9. §. 1. ff. h.* Heredes, si quid ad eos pervenit, conveniuntur, non criminaliter ut puniendi, sed civiliter ut turpe lucrum illis excutiatur *l. 4. pr. l. 12. l. 19. §. 1. ff. n. t.* quod si ipsi deliquerint, non ut heredes, sed proprio nomine conveniuntur & ut ipsi principales puniuntur.

Actor & reus in omni judicio, licèt non eodem modô adesse debent, ità ut in processu inquisitorio fama reputetur pro actore. Quia de causa olim, ne deficientibus accusatoribus delicta manerent impunita, constituti erant Stationarii seu Irenarchæ, quibus publicè mandabatur, ut si quid gravius accidisset, id denunciarent magistratibus, *l. 7. C. de accusator.* unde & nunciatores appellabantur, *l. 6. §. 3. ad SCt. Turpillian.* publici & necessarii delatores, *l. 6. ff de custod. & exhib. reor.* Hisce Fisci advocatus s. Fiscalis adjungi solet, qui delinquentem accusat, & processum ordinarium adversus ipsum persequitur, ne ipsemet magistratus agere & in processu ordinario accusatoris & judicis officio simul fungi videatur, *l. 5. C. de Delator. Lib X.* Gail. 1. *Obs. 90. n. 2.* Fundamentum agentis est fraudulenta imitatio vel occultatio veri in suum præjudicium attentata, cujus probatio ipsi incumbit. Fit autem in hoc judicio acerrima indagatio, ut & à reo probatio quandoque exigatur, *l. pen. C. eod.* quod tamen in praxi nusquam servari testatur *VVesenb. paratit. ff. h. n. t. n. 11.* nisi quòd juramentum purgationis, oneratis suspicione reis, neque tamen in

totum

totum convictis imponi soleat *t. t. x. de purg. can.* Intentio autem sive cōclusio supplicationis in judicio civili ad hoc tendit, ut damnum sibi resarciatur quantum suâ interest in duplum, *l. 32. § 1. ff. h. t.* vel ad retractandum falsum, *l. pen. C. de Transact. l. 33. ff. de re judic. t. t. C. Si ex fals. alleg.* in criminali verò ad vindictam, *l. pen. C. h. t.* ad certam autem pœnam in libello accusatorio exprimendam non tenemur, sed judicis arbitrio & juris dispositioni committere, P. H. O. *a. 89.* judicis ergo officium ad actoris intentionem, delicti naturam & jura statuta directum esse debebit, nec semper sententia libello esse conformis; id quod equidem in civilibus regulare est, *l. 18 ff. comm. divid.* in criminalibus tamen fallit: cujus differentiæ rationem *vid ap. Magn. Dn. Carpzovium pr. Crim. q. 106. n. 17.*

Sunt autem *pœnæ* pro varietate delicti diversæ statutæ. Ut methodo supra servatæ insistamus, falsatores mercium juxta P. H. O. *a. 113.* arbitrariè puniuntur; unde alium simpliciter ad biennium; alium cum fustigatione in perpetuum relegatum legimus *ap. Magn. Dn. Carpzovium pr. Crim. q. 93. n. 87. & 90.* Fraudes in pannorum distractione commissæ, confiscatione omnium bonorum venditoris, honoris discrimine, emptori prius damnô refectô, puniuntur, accusatoribus insuper mercibus præmii locô adjudicatis. *R. J. de anno 1570. §. 153. & 157. & anno 1577. T. 21. §. 3. in fin.* Qui corrumpunt vinum, aquâ, calce, sulphure, aliisve mixturis, hos infamiâ, corpore, bonis mulctari jussit *Maximil. I. Imp. Constit. imper. 1497. Friburgi Brisgav. it. 1500. T. 32. 1577. T. 16.* Qui mensuras vel pondera corrumpit, quanti res est, duplo condemnatur, & in insulam relegatur *l. 32. §. 1. h. l. 6. de Extraor. crimin.* itemque virgis cæditur, aut pro magnitudine falsi ex consilio prudentum, mortis, aliâve extraordinariâ pœnâ affligitur, *l. 37. de pœnis.* Jure Saxon., qui corrumpit mensuram, is cum fustigatione, qui eâ

uti-

utitur tantùm, is ſine ea relegatur. Weſenb. *n. 9. h.* Qui falſam monetam & fabrefaciunt, ſimul & expendunt, flammis exuruntur, P. H. O. *a. 111.* Qui ſolùm cudunt, non expendunt, gladiô feriuntur. Dn. Carpzov. *pr. Crim. q. 42. n. 26. & n. 91.* Si expenderit modò, non conflaverit, fuſtigatus perpetuò relegatur, *id. ib. n. 97.* Contractus probantur inſtrumentis. Qui falſum inſtrumentum, ſignacula, literas, ſigilla machinatur, hodiè vitâ, exilio, membri amputatione, fuſtigatione, damni reſtitutione, pro magnitudine delicti, punitur. P. H. O. *a. 112. ubi Vigel. cap. 10. reg. 9. add. Dn. Carpzov. d. q. 93. n. 64. ſeq.* Qui numerationem vel ſolutionem factam falsò ſcripſerit, ſi non dolô id fecerit, arbitrariè puniendus erit, *Nicol. Honthem. art. Notar. 3. c. 18. n. 29. ſeqq.* Notarius qui falſum conficit inſtrumentum, vel illicitum contractum contra juris rationem ſcribit, vel manûs amputatione vel perpetuô exiliô punitur, ſimulque officio deponitur cum infamia. *l. 14. §. 3. C. de SS. Eccleſ. Conſtit. Frid. imper. 2. F. 55.* Gail. 2. *O. 4. n. 2. & O. 77. n. 4.*

Sequuntur actus ultimarum voluntatum. Illi qui in teſtamento alieno ſibi ipſis quid adſcribunt, pariter Legis Corneliæ pœnâ tenentur, & inſuper ejus quod eis relictum eſt, incapaces fiunt. *vid. prolixè t. t. C. de his qui ſibi adſcribi in teſtam. ibiq; Dd.* Qui patris teſtamentum abolevit quaſi inteſtatus deceſſerit, & pro herede ſe geſſit atque inde deceſſit, tota hereditas paterna ejus heredi eripitur, *l. 26. h. l. 4. §. 2. ff. famil. erciſc.* In judiciis qui acta falſificat, amiſſioni cauſæ ſubjacet, Jul. Clarus §. *Falſum. n. 32.* Gail. *1. obſ. 134. n. 25.* Si judex ſit, quomodo puniatur, vid. Dn. Carpzov. *d. q. 93. n. 53.* Teſtis contrarium perhibens teſtimonium, extra ordinem puniendus. Menoch. *caſ. 312.* Teſtis absq; dolo falſum dicens, ob culpam, ad damni ſi quod inde datum eſt, refectionem tenetur. Id. *caſ. 309. n. 6.* Presbyteri, Diaconi ob falſum teſtimonium in cauſa pecuniaria jurato pro-

barum,

batum, remotione à ſacro ordine per triennium & relegatione in monaſterium puniuntur: In criminali ſi falſum dixerint, clero nudati pœnis legitimis ſubjiciuntur *Nov. Leon. LXXVI. & LXXXVII. N. 123. c. 20. can. Balſami XXIV. q. 25.* quòd ſi falſo teſtimonio jusjurandum acceſſerit, & perjurium commiſſum fuerit, ſive in cauſa pecuniaria ſive criminali, à ſacerdotio repelluntur & verberibus ſubduntur *Nov. LXXVI.* Qui literas Apoſtolicas vitiant, omnibus officiis & beneficiis exuti pœnis in legibus juris civilis ſtatutis ſubduntur, *c. 7. extr. de crimin. falſ.* Qui reſcriptum Principis falſificant, in exilium mittuntur *c. 3. eod.* De iis, qui ſaltem reſignarunt & aperuerunt reſcripta Electoralia, vid. Dn. Carpzov. *pr. Crim. q. 93. n. 20. 21.*

In falſo circa perſonas; Qui nomen mutant, arbitrio judicis puniuntur, Menoch. *A. J. Q. caſ. 318. n. 18. ſeqq.* qui dignitatem Equeſtrem vel Doctoralem mentiuntur, juxta qualitatem ejus delicti, quod ſub hoc prætextu perpetrârunt, fuſtigatione vel relegatione puniuntur, P. H. O. *a. 112. & 113. in f.* Dn. Carpz. *d. q. 93. n. 98.* ubi qui ætatē mentitus erat, pecuniariâ pœnâ dicitur multatus, *n. 42.* qui paupertatem mentiuntur, falſis utendo atteſtationibus de incendio, fuſtigati relegantur *ib. n. 73.* Si ſtatum gentilem aut Judaiſmum fingunt, ut rebaptizentur, æquali afficiuntur pœnâ *ib. n. 44.* Falſi partûs ſuppoſitio capitalis eſſe dicitur tam obſtetrici quàm mulieri *l. 1. C. h. n. t.* Weſembec. *h. n. 8.* Sed fuſtigatio cum relegatione obtinet, Dn. Carpzov. *d. q. 93. n. 30. ſeqq.* *In rebus* falſum committitur falſis titulis. Qui ergo potentiorum nomine titulove obducto actores terrent, adfecti plumbo, perpetuis metallorum ſuppliciis deputantur *l. un. ibique Gothofr. C. de his qui potent. nom.* Qui privatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponit, plebejus, ultimo ſupplicio ſubditur, Clariſſimus verò, Curialis, Miles, Clericus, deportatur *l. 2. C. ut nem. priv.* Quoni-

 am

am tamen omnis pœnæ temperatio judici incumbit, merito Q. *quâ proportione uti queat?* Non ignoramus Wesenbecii distinctionem inter officium judicis & legis. *paratit. ff. h. n. t. n. 12. circa f.* placet tamen ita distinguere, ut quoad inveniendam inter delicta æqualitatem Judex proportione geometricâ uti queat; quoad coercenda verò ipsa delicta, arithmeticè procedere possit. Tam judices autem quàm litigantes cautos esse oportet in vera delicti specie seligenda; cùm huic probatio incumbat, illi verò ut cuilibet delicto suam indat pœnam. Sejungenda ergò *delicta affinia*, quale 1. est crimen Peculatus, de quo supra diximus, quando qui monetam tractant publicam, privatim cudunt vel furantur species. 2. læsæ majestatis, quia Dn. Carpz. putat, cudendo monetam lædi majestatem. *vid. itid. supr.* 3. Stellionatus, cùm scil. quis sciens rem alienam oppignorat. 4. Doli, v. g. Si quis sciens commodaverit falsa pondera *l. 18. §. 3. ff. de dol mal.* 5. Prævaricationis, de quo P. H. O. *a. 115. & tit. ff. de Prævaric.* 6. Termini moti. *t. t. ff. de Term. mot.* P. H. O. *a. 114.* 7. Perjurii, P. H. O. *a. 107.* Et sic vindicatur hoc crimen, eoq; ipsô simul expiatur atque extinguitur. Videndum itaque paucis, quibus modis crimen Falsi & judicium super eo *tollitur.* Generaliter autem 1. Mors omnia solvit; nec crimen, nec judicium pro expiando, in heredes transit, ut dictum. *vid. l. 6. ff. de public. iudic.* Farinac. *pr. Crim. q. 10. n. 36.* 2. aboletur indulgentiâ principis *l. 4. C. de his qui sibi in test.* 3. præscriptione & quidem regulariter 20. annorum. *l. 12. C. h.* in partu tamen supposito singulare est (vid. tamen Cujac. *IV. obs. 14.*) quod nullâ temporis præscriptione tollatur, *l. 19. §. 1. h.* ne videlicet spuriis & adulterinis liberis familiæ ullo tempore polluantur; similiter si civiliter de fide scripturæ quæratur, nulla præscriptio objici potest *l. 17. seq. C. h. t. arg. l. 29. & 201. de R. J. c. 18. de R. J.*

in 6.

in 6. Sic contra Ecclesiam crimen Falsi nunquam præscribi Dd. volunt. vid. Farinac. *pr. Crim. q. 10. n. 6.* quamvis verò vicennio Falsi accusatio extinguatur, tamen post illud spacium excipere quis non perhibetur *l. 5. §. f. ff. de Except. doli.* 4. Transactione. Utrum autem super hoc crimine transigere liceat? dubium reddiderunt Interpretes Græci, qui regulæ in *l. 18. C. de Transact.* quod de criminibus sanguinis pœnam non inferentibus transigere non liceat, hanc assuêre limitationem: *citra falsi accusationem*; eo sensu: quasi super crimine falsi quantumvis id capitale non sit, transigere tamen liceat: explicantes τὸ *Nisi, præterquam, exceptô.* Quia autem omnis exceptio debet esse à regula, oportet prius inquiri, Num falsi pœna, utpote arbitraria, ad mortem usque extendi queat? cujus affirmativa vel ex allato à Dn. Carpzov. *d. q. 93. n. ult.* exemplo patet. Cùm itaque capitale sit crimen hoc, mirum non est, quod utique super eo transigere quoque liceat, non tàm propter rationem Interpretum Græcorum, quòd exceptum sit à non capitalibus, quàm quia sub capitalium regula omnino continetur. Liceat itaque brevibus ita statuere: Super Falso transigere licet quoties pœna mortis imminet; secus verò si levior aliqua. Prolixius qui informari super hac quæstione cupit, adire integros ad *d. l. 18. C. de transaction.* Doctorum tractatûs potest. Nos hîc vela contrahimus.

SOLI DEO GLORIA.

ACCLAMATIONES VOTIVÆ
in honorem Præ Eximii Domini AUTORIS.

CUm tua scripta videt, tetro de crimine falsi
edita concinnis, Fama Themisque, typis:
Nüsstede, omnigeni Juris qui gnavus Alumnus
audis, Saxonici stellaque clara poli.
Inter se tales sermones ordine cædunt
Ambæ: quos memori voce referre juvat:
Marte hæc scripta meus propriô confecit Alumnus;
fatur sancta Themis, quid, Bona Fama, putas?
Huic mox respondet læto de pectore Fama:
Quapropter meritâ laude vehendus erit.
Ex improviso Fortuna intervenit, ambas
& sic affatur: do mea vota simul.
Hic nostrô affectu, Dilectæ, dignus: at ipsi
quæ dabimus meritis præmia digna suis?
Dignus Doctoris titulis Hic: laudeque dignus:
'dignus & officio. Sint rata vota, precor!

Ita laudandos Dn. Autoris conatûs, cum omnigenæ prosperitatis voto, commendo

PRÆSES.

ES hat unzählich viel die Goldsucht so besessen/
Daß wie bezaubert sie der Ehr und Pflicht vergessen.
Die Geld-Begier betreugt mit Ell' und falscher Hand/
Er sey gleich wer er sey/ frembd oder wohl bekand.
Der kan aus Mammons Trieb verdrehen gute Sachen/
Aus Unrecht scheinend Recht umb Geldes willen machen:
Ein ander ungescheut verflucht mit falschem Sinn
Sein Leib und arme Seel/ wenn Hoffnung zum Gewinn.
So pflegt die tolle Welt nach Geld und Gut zu streben/
Da doch kaum Daumens breit ist zwischen Tode und Leben:

Auch

Auch endlich wird gestrafft was eine Weil' ansteht;
Denn ein Verboster nicht der Nemesis entgeht.
Was sich in diesem Fall mit allem Rechte gebühret
Das zeig't Herr Nüsstedt an/wenn Er vor Augen führet/
Wie Falsch-Beginnen selbst sich endlich bring' in hafft/
Daß es nach Rechtsgebrauch werd billich abgestrafft.
Mein Werther fahret fort! Man lobet sein Beginnen:
Er wird in kurtzer Zeit des Pindars hohe Zinnen
Ersteigen; Denn der Fleiß erlanget solchen Lohn/
Daß vor gehabte Müh' Er träget Preiß davon.
Alsdenn soll erst sein Ruhm biß an den Himmel reichen/
Daß auch Pyramides an Höhe werde weichen:
Wenn Themis öffentlich mit Hertz-erfreutem Muth
Ihm geben wird den Kuß/den Ring/den Purpurhut.

Mit diesen geringen hat seinem werthgeehrten Herrn Tisch- und Hausgenossen seine Willfährigkeit bezeigen wollen

Johann Georg Kellner/der löbl. Jur. Fac. und Schöppenstuls Actuarius.

HImlische Geister erhöhen die Flügel/
Lassen diß untere Tunckel hingeh'n;
Rennen durch Tugendgeflammete Zügel
ähnlich den Sternen am Himmel zu steh'n:
Den theurer Tugend-Schweiß bekrönet doch der Preiß
Der Todes-freye Ast/ das grüne Lorber-Reiß.
Ewig bestehen/die Sophien lieben/
Halten die Themis für einzige Lust;
Gnüglich bekommen vor solches Verüben
Selbe derselben stets quellende Brust/
Die lauter Nectar führt/ die von dem Himmel weiß/
Und nicht ersterben kan/das frische Lorber-Reiß.
Liebster Achates/ die Fama bezeuget
Wie Du dort Sophiens Brüste berühr't;
Wie Dir die Themis in allem geneiget
Und Dich hier prächtig zum Throne hinführ't

Wo deine TugendMüh/der ausgestandne Schweiß
Der Welt wird kund gethan zu steten Ruhm und Preiß.
Lebe vergnüget/ wir wünschen/ in Ehren
Sophie/ Themis/ die warten schon auf
Selbige müssen die Freude vermehren/
Fördern/vollenden den schwerlichen Lauff
Und reichen Dir verdient den letzten Tugendpreiß
Den Todes-freyen Ast/ das grüne Lorber-Reiß.

Hiemit wolte seinen hochgeehrten Herrn Tischgenossen und werthgesinnten Freunde schuldigsten Obliegen nach beehren
D. B. Pfore/ Silesius.

WEr der süssen Nüsse Kern nach Belieben wil geniessen/
Dem muß auch die harte Schahl aufzubeissen nicht verdriessen.
Wer nach Ruhm und Ehren strebt/ muß nicht eben darnach sehn/
Wie der Weg beschaffen sey/ob er schwer und rauh zu gehn;
Recht/Herr Nüssted/ Er veracht/was viel pfleget abzuschrecken/
Er gewiß wird dermahleins auch die Frucht des Fleisses schmecken.
Glück wunsch' ich von Hertzengrund. Himel gib auch nach Begehrẽ
Ihm ein Lieb-vertrautes Hertz/ setz' Ihn in verdiente Ehren.

Zu freundlicher Glückwünschung setzte seinem sehr werthen Freunde dieses
Mauritius von Borstel/ Eques Bremensis.

FLeiß/Tugend/und die Ehr sind drey verknüpffte Schwestern/
Die stets zusammen seyn; wo die zwey ersten gestern
Liebwerth gehalten sind/da kömmt die letzte heut
Und theilet reichlich aus verdienten Lohn und Beut.
Vertrauter HertzensFreund/ Er liebet nicht ohn Tugend
Den Schweiß-vermischten Fleiß im Frülling seiner Jugend/
Er warte mit Bestand/die Ehr ist auch nicht weit
Die Ihn unsterblich macht in dieser Sterbligkeit.

Diese geringe schrieb aus Schuldigkeit seinem guten Freunde
Henr. Schütz/ Hamb. M. S..



